

tur hominibus: blasphemia verò in Spiritum Sanctum, non remittetur hominibus. Et quisquis locutus fuerit adversus Filium hominis, remittetur ei: Quisquis autem blasphemaverit Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro: Sive, uti Marcus habet: Non habebit remissionem in æternum, sed æterno tenebitur iudicio. *Matth. 12, 31. & 32. Matth. 3, 28. & 29. Luc. 12, 10.*

30. *Quorum verborum quis verus, proprius ac genuinus sit sensus, facilius ut percipiatur, probe omninò observandum, peccata universa secundum duas diversas doctrinae Christianae partes, duum esse generum: Alia enim directè in doctrinam Legis: alia verò in doctrinam Evangelij feruntur.*

31. *Et quanquam fieri potest: ut Homo respectu Legis etiam committat peccatum in Spiritum Sanctum: non quidem ratione morum, virtutum, & vitiorum, quae in lege vel prohibetur, vel præcipiuntur: Siquidem peccatum in Spiritum sanctum nunquam committitur moribus: Sed ratione doctrinae Legis: veluti si quis in Articulo de uno Legis Moralibus Usu teneat ac mordicus defendere studeat, etiam reclamante conscientia, ejusmodi errorem quem nosset cum veritate è diametro pugnare: quin imò ipsam veritatem agnitam blasphemè persequatur: Quales errores spergebantur olim à Pelagianis: & hodiè*
spar-